

ANNO DOMINI DCXXV.

SANCTUS SONNATIUS,

RHEMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM SONNATIUM.

(Gallia Christ., t. IX, p. 18.)

Archidiaconum Rhemensem gerebat Sonnatius cum episcopus Rhemensis factus est ante annum 613; nam, ex Flodoardo, res quasdam commutavit cum regina Brunichilde, quae diem supremum non obiit ante hunc annum. Electum autem esse aumat Cointius anno 594 ineunte; quod si verum est, nihil vetat quoniam anno circiter 600, ut quidam volunt, corpus sancti Remigii novam in cryptam transtulerit. Præterea, inquit Flodoardus, res Ecclesiæ suæ probabilitè ordinasse legitur, augens etiam episcopium, terris ac mancipiis dato prelio coemptis, quarum adhuc expiacionum nonnulla reperiuntur monumenta; quasdam quoque res quas pravi quidam pervaserant, apud regiam majestatem tam per seipsum quam etiam per suis actores, Marco presbytero quoque legato suo causas agente, repetitas et obtentias Ecclesiæ rite restituit. Colonias etiam villarum quarundam episcopiis dispositis ordinavit servitiis. Præterea nec non regalia super ecclesiasticarum immunitate rerum, sed et traditionum quarundam obtinuit firmitatem. Anno 625 synodus Rhemensem cum aliis quadraginta et amplius Galliarum episcopis celebravit; qua in synodo multa leguntur apud Flodoardum utiliter constituta. Testamentum denique rerum suarum condidit, in quo, ex eodem scriptore, plura diversis donaria contulit ecclesiis. Basilicam tamen beati Remigii præcipue sibi hæredem instituit, ubi et sepulturam se habiturum delegit, ibique missorum argenteum deauratum deputavit; cochlearia quoque duodecim et salarium argenteum, ac portionem suam de Villari quodam cum mancipiis, vienis, pralis cæterisque adjacentibus, et alia nonnulla quæ se dato pretio meminit comparasse. Ad basilicam sanctorum Timothei et Apollinaris delegavit casas quasdam, tam juxta ipsam ecclesiam quam infra civitatem. Ad basilicam sancti Martini, quem peculiarem suum patronum dicit, villam mutationis quam comparavit, ad integrum, sicut a se possessa est, tradidit. Insuper

A et aurum dedit, unde calix inibi fieret. Ad basilicam sancti Joannis solidos v, ad basilicam sancti Sixti similiter in auro solidos iii, ad basilicam sancti Medardi solidos iii, ad monasterium puellarum vineam in Geruaniaco sitam, cum quibusdam vasis ipsi basilicæ profuturis; ad basilicam quæ dicitur, A' apostolos, auri solidos iii cum aliis munusculis unde culix fieret; ad basilicam sancti Petri in civitate auri solidos iii; ad basilicam sancti Theodori portionem suam de villa Germaniaco, cum mancipiis, vienis et cæteris ad ipsam pertinentibus, argentum quoque ad sepulcrum domini Theodulphi fabricandum vel exornandum; ad basilicam sancti Viti vas quoddam argenteum ad calicem facendum, et in anno solidos xv; ad matriculam præterea sanctæ Rhemensis Ecclesiæ nonnulla contulit donaria; cæteris quoque matriculis vel congregationibus diversa delegavit munera. Quibusdam hæredum quoque suorum personis prædio quædam eo tenore dereliquit, ut ad loca sanctorum a se destinata post eorum reverenteretur decessum. Mancipia nonnulla libertate donavit, additisque ditavit peculii. Quod viri Dei testamentum regalis præcepti reperitur pagina roboratum.

B Obiisse creditur meritissimus præsul xiii Kal. Novembr. anno 631, si Cointio fides. Tradit Deinochares, elapsò plurium annorum curriculo, Deum, miraculis in tumulo coruscantibus, sanctitatem ipius mundo revelasse, temporibus prædictis Rainaldi II, Sansonis et Henrici I archiepiscoporum, hoc est duodecimo saeculo, sacraque ejusdem ossa ab ecclesia sancti Remigii ad cathedram fuisse translata Prid. Non. Novembr. anno 1204, elevationis pompam Widone cardinale Prænestino celebrante. At haec paulo post fortuito incendio, quo deformata ecclesia, cum ingenti supellectile perierunt. Ascribuntur sancto præsuli quædam statuta synodalia quæ videlicet apul Labbeum et Marlotum.